

legibus conficiunt, non frustra posuit nobis ob oculos Deus, sed uoluit ut nos inde anni descriptionem & temporum spacia, uicesq; sumeremus, & diuersa temperamenta annorum prospiceremus. Postremo ut hic pulcherrimus ordo motus, & consensus moneat nos de opifice, hæc non extitisse casu, sed ab aliqua æterna mente esse orta, & gubernari. Quare generosa ingenia decet abhorrere auribus atq; animis ab Epicureis illis, qui hanc certissimam motuum scientiam aspernantur. Magna uero etiam uis & utilitas est etiam alterius partis, uidelicet doctrinæ prædictionum, quæ sumuntur à causis coelestibus. Nam & Galenus autor grauissimus affirmat affici animantium corpora à lumine planetarum, magnamq; uim omnium planetarum esse in temperamentis & miscendis & turbandis. Et quidem grauitè reprehendit eos qui dissentiunt. Ait enim experientiam manifestam testari hanc uim esse siderum: Sophisticum uero esse, negare manifestam experientiam; Multa iudicari possunt ex positu Astrorum de ualetudine corporum, de ingenijs & inclinationibus, deq; multis in uita casibus, de tempestatibus, de mutationibus rerum pub. Plurimum autem tantarum rerum consideratio & animaduersio conducit prudētibus. Nec pugnat religio Christiana cum hac sententia, nec damnant has prædictiones sacræ literæ. Sunt enim pars quædam physices, sicut Medicorum prædictiones. Sumuntur enim à causis naturalibus. Diuinitus

uinitus